

1. Reg. 17.

ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum, Israel, quibus exprobrasti hodie. Et subdit: Dabit te Dominus in manu mea, & percussam te, & auferam caput tuum a te, &c. ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, 1. Reg. 17. num. 46. Quid dicit David? Adhuc praelium non est commissum, & tu iam canis victoriam, Deumque victorem praedicas, illique das gloriam? Ut sciat omnis Ecclesia, quia est Deus in Israel. Eleganter D. Basilius Seleuc. oratione 15. Gratus seruus, qui vel ante operam, operam fructum offert Deo. Ecce ingens fructus gratiae, quod ante acceptum donum, doni accepti Deo gratiam refert, parum erat ingenti animo David, quod post adeptam victoriam Deum glorificaret, hoc enim est debitum persolvere, ut tenebatur, at solutionem debito anteuertere, ut prius inueniatur gratus, quam gratitudini obnoxius, hoc valde magnum, & mirabile est. Gratus seruus, qui vel ante operam, operam fructum offert Deo.

Basil. Sel. David prius gratus, quam gratitudinis obnoxius.

QUESTIO XIII.

Quare Zachaeus dat dimidium suarum rerum pauperibus, & prius de hoc agit, quam de restituendis, quae defraudauerat?

92. Ingens conuersio Zachaei.

IN limine huius quaestiones notanda est ingens conuersio Zachaei, qua dimidium suarum rerum elargitur pauperibus, & alterum dimidium restitutioni addidit; subito Evangelicae paupertatis consilium est amplexatus, relicta enim omnibus Christi pauper effectus, vel mendicatio, vel labore manuum sibi parat. Ad quaestionem

93. Chrysol.

Primo responderet D. Chrysolom. apud Cordeurium in Lucam, Vide miraculum, nondum edoctus est, & obedit; nondum didicit, & custodiuit, nihil adhuc dixerat Saluator, nec quidquam de eleemosyna praeceperat, sed silebat, & quiete illuminabatur. Et sicut Sol per radios infusus in domum non illustrat verbo, sed opere: ita Saluator radijs inibi fugat nequitiae caliginem, nam lux in tenebris lucet, quapropter Zachaeus dixit: Dimidium bonorum meorum, &c. Quamuis Christus taceret, & nihil diceret, tamen veluti sol radijs suae praesentiae Zachaeum illuminat, ut vniuersa sua bona in pauperes, ac debitores expendat.

94. Chrysol.

Secundo. D. Chrysol. serm. 54. Qui Christum videre querit, caelum vnde Christus est, non terram, de qua aurum est, intuetur. Dives ergo, qui sursum respicit, non portat diuitias, sed proculcat: non incuruat diuitijs, sed leuatur. Christus Dominus ut ait citatus Chrysolomus, Zachaeum respexit ad gratiam. Ex quo Zachaeus sursum oculos leuauit in caelum, & Christum respexit, inde factum est, ut omnia mundialia despiceret, ac paruipenderet, qui enim verè Christum contemplatur, totus mundus ei vilescit, omniaque illius ei contemptibilia apparent. Dives ergo, qui sursum respicit, non portat diuitias, sed proculcat.

95. Bostrenf.

Tertio. Titus Bostrensis: Ut primum, ait, Zachaeus Christum Dominum citra gaudium in domum suam excepit, statim effectus est misericors, statim studiosus pauperum, & eo mox iustitiae amore inarsit, ut in quadruplum ea se resarsurum sponderet.

Vnde factum est, ut ille, qui omnes spoliabat, tam largiter bona sua det pauperibus, tam largiterque ablata in quadruplum restituat. Cum Zachaeus Christum excepit in domo sua, cepit illius esse discipulus, ad Christumque pertinere, illiusque vestigia sequi, inde factum ut omnibus suis velle diceret, hominibusque esset valde salutaris, ac proficiuus; qui enim vestigia Christi tenet, omnia renuntiat, cunctisque est in commodum, ac salutem.

Qui Christi sit discipulus, mundialia spernit.

Quarto. D. Chrysolom. homil. de Zachaeo: Accepit, ait, domus Zachaei salutem ex fide, quam perdidit aliquando ex fraude. Misericordia reddidit, quod rapina abstulerat: conferunt dona, quod fraudes ademerant. Dona enim pauperum lucra sunt animarum: ut probabile cunctis existeret, malis quaevis damna in misericordia operibus bona maxima aggregare. Zachaeus videtur in suis verbis totum ordinem inuertere, prius enim dicendum erat, reddo creditoribus, deinde do pauperibus, siquidem prius, & grauius vrget obligatio, quam largitas ex pietate; sufficiens erat, ut restitutis fraude ablatis, quae supererant, in eleemosynas expenderent. Cur opus consilij anteponit pracepto? Conferunt dona, quod fraudes ademerant. Prius dat dimidium pauperibus ut liberalior, ac largior fieret restitutio, pio scenore sperabat ex eleemosynis diuitias in multum crescere, ut ergo valeat non simplum, sed quadruplum restituere, prius dimidium bonorum statuit in pauperes expendere, ut inde opes multiplicentur in quadruplum, ut creditoribus restituat. Misericordia reddidit, quod rapina abstulerat, conferunt dona, quod fraudes ademerant.

96. Chrysol.

Ex eleemosyna opes multiplicantur.

Quinto. D. Chrysolom. homil. 84. in Matth. ponderans ornatum domus, qua Zachaeus Christum excepit hospitio, sic ait: Non curriculo ad vicinas contendit, mensas, sedes, subsellia petens eburnea, nec extraxit leoculis Laconica quadam mensarum velamina, sed ornatu Christo gratissimo decorauit. Quod porro istud? Dimidium bonorum meorum do pauperibus. Sicque nos domos nostras exornemus, ut Christum suscipere mereamur. Non pretiosa suppellectili, non texturis, tapetibus, ac telis domum adornauit; sed eleemosynis pauperum; sciebat enim iam diuina gratia illustrante talem ornatum gratissimum esse Domino, & inde ab eo meruit audire, Hodie huic domui a Deo salus facta est.

97. Chrysol.

Eleem. pauperum rati sumus natus.

Cum Christus Dominus triumphali, & regia pompa, ac maiestate ingrederetur Ierosolymam, multi ex turba cadebant ramos de arboribus, & sternerant in via, Matth. 21. n. 8. Qui rami erant oliuarum, ut notant communiter interpretes, siquidem mons Oliueti, de quo ibi est sermo, oliuius constitus erat, & cur huiusmodi ramis viae adornantur Christo? D. Drogo de Dominicae Passionis Sacramento: Egredere, ait, cum pueris Hebraeis, qui transeunt simpliciter in occisum Domini, sterne in via ramos oliuarum, ut opera misericordiae, pedibus eius accomodes. Rami oliuae, quae est misericordiae, ac pietatis symbolum sternerunt in via pedibus Christi, nullus enim ornatu gratior, ac aptior Christo, quam pietas, ac misericordia in fratres, ac proximos, opera misericordiae pedibus eius accomodes. Vide multa verbo Eleemosyna, in Indice.

98. Matth. 21.

Drogo.

Misericordia sternerunt via Christo.

LUC. 19. n. 9. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta

QUESTIO XIV.

Quare ait Christus, quod salus domui Zachaei facta est?

facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Num. 10. Venit enim Filius hominis querere, & saluum facere, quod perierat.

VERSIONES.

- Arabicus. Hodie conuenit salus habitatoribus huius domus. Syriacus. Facta est salus huic domui: eo quod iste quoque est filius Abraham. Vatabl. Theophyl. Salus domui huic obtigit, eo quod, & ipsa filia sit Abrahæ. Vatabl. n. 10. Venit enim filius hominis quaesitum, & seruatum, quod perierat.

EXPOSITIO VI.

99.



IT Iesus ad eum. Ad verba nempe eius respondens, nam ad ipsum Zachaeum, & ad discipulos, ac populum circumstantem loquitur Dominus, quia hodie, hac nempe die, qua ego ingressus sum in hanc domum; Salus domui huic facta est. Illius nempe conuersio, ac iustificatio; & cum ait Christus Dominus, Hodie salus facta est. Significat domum antea fuisse plenam vitijs, & rapina. Euthym. Salus facta est, eiecta perditione, qua in ea morabatur, propter auaritiam, & iniustitiam. Per domum Theophylactus, Maldonatus solum Zachaeum interpretantur, nam salutis factae ratio innuitur, Eo quod filius sit Abrahæ. Tamen Euthymius, D. Bonavent. Carthusian. Hugo, Caietan. & communiter Recentiores per domum, totam familiam, ac domum Zachaei, prout sonat litera, intelligunt; nam salus a capite in totum corpus extenditur, & facta sanitate in capite, omnia membra componuntur, & sunt sana, superioris sanctitas in totam familiam transfunditur. Eo quod ipse filius sit Abrahæ. Graeca exemplaria habent in femineo genere, ac si ipsa dictio referatur ad totam familiam. Tamen nostra lectio sequenda est, eo quod ipse, scilicet Zachaeus filius sit Abrahæ, non solum genere, sed etiam fide, ac probitate, cuius exemplum tota eius familia est imitata.

Euthym.

Theophyl. Maldon.

Euthym. Bonavent. Carthul. Hugo. Caietan.

Græcus.

100.

Venit enim filius hominis. Duo in presenti se obtulerunt. Vnum obmurmuratio populi, quod ad hominem peccatorem diuertisset; alterum vero salus domus Zachaei; Christus tamen prius respicit salutem domus Zachaei; deinde obiectioni contra se factæ occurrit; anteponens hominum salutem, ac commodum suae opinioni, ac famæ. Deinde voluit Dominus prius respondere opere, quam verbo. Nam obmurmuratis, quod ego ad hominem peccatorem diuertirem. Nam Zachaeum qui publicanus, & auarus erat, meo ingressu ad omnium rerum contemptum, ac paupertatem Euangelicam traduxi, Venit filius hominis. De seipso loquitur per tertiam personam modestæ causâ, Querere, ac saluum facere, ut ad salutem, ac iustitiam reducat, quod perierat: perditum nempe erat.

Christus prius occurrit nostre salutis, quam suae opinioni.

MPLIFICAT Dominus beneficium, & ait, quod non solum vni Zachaeo salus facta est, sed etiam vniuersa eius familia; non enim vni, sed pluribus sua dona communicat. Hæc sui exemplum sequentes, conuerso Zachaeo diuina gratia operante, conuersi fuerunt domestici eius, ac tota illius familia; sic dicitur: Creditus Regulus, & tota domus eius, Ioan. 4. num. 53. Sic cum exirent mirabiliter de carcere Paulus, & Silas: Ipse custos carceris baptizatus est, & domus eius, Act. 16. n. 33. Sic & Crispus Archifsynagogus creditus Domino cum omni domo sua, Act. 18. n. 8.

101. Deus pluribus communicat bona sua.

Ioan. 4.

Act. 16. Act. 18.

Respondeo primo ad quaestionem. Facta est salus. Ob nimiam contritionem, emendationem, ac eleemosynas Zachaei, quibus Diuini Spiritus influxu ipse purificatus est. D. Laurent. Nouar. homil. de Poenitent. Sufficit tibi; ait, exemplum publicani istius, qui miserabilis actus transacti temporis per eleemosynam, quasi per flumen indulgentiam traxit, seque auaritia laqueo per erogationem eripuit. Exiit a via, ac tramite vitiorum per eleemosynas, quæ tantæ salutis fuerunt causæ dispositiuae.

102. Eleemosyna liberatur a vitijs. Laurent.

Secundo. D. Ambros. lib. 1. de Abel, cap. 8. Festinauit Dominus, ait, ad beneficium, & ideo non expellauit, ut promitteret, & impletet omnia, sed antea fecit, postea declarauit; dixit enim facta est salus: quod praueuienti seruit, non promittenti. Non dixit Dominus, facienda est salus, sed facta est, a promissione ablinet, & opus misericordiae impensum dicit, prius factis declarat, quam verbis, prius ostendit opus, quam sermone manifestet: non promittit, faciam, sed factum exhibet. Vide supra cap. 35. n. 63.

102. Ambros. Ingens beneficium declaratur, non promissione, sed opere.

Tertio. Cum ingreditur Christus domum Zachaei, tota ipsa domus videtur ei dedicata, & consecrata, & inde tantum sibi Deum placauit, ac reconciliauit, ut multam benignitatem, ac misericordiam ei impenderet, ac concederet. Extremam vastitatem, ac desolationem minatur Christus Dominus Ierusalem: Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas; & concludens adiecit: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, Matth. 23. n. 38. & statim subsequitur: Accesserunt discipuli eius, ostendentes ei adificationes templi, cap. 24. num. 1. Ad quid post tam graues minas discipuli deducunt, ut videat expolitos lapides, artificum opera, maiestatem, ac amplitudinem operis? Nunquid ad maiorem incertitiam, ac dolorem ingendum? Minime, sed ut aspectu tantæ templi maiestatis, ac ædificij Deo consecrati Magistrum discipuli placarent, ac ad pietatem flecterent. Caietan. Quia audierant discipuli, ait, ecce relinquetur domus vestra deserta.

103.

Matth. 23.

Matth. 24. Templo dedicato maxime placatur diuina ira.

Caietan.

QUESTIO XV.

Quare Zachaeus dicitur Abrahæ filius?

Ivvs Basilius citatus in Catena Graeca existimat, quod Zachæus Cananaeus erat, QQ9 4 ac

104.

Tunc quis si
lius sui pa-
tris declara-
tur, cum eius
virtutes imi-
tatur.

Chrysof.

ac proinde quod relicto virili genere, paternò-
que cultu, promeruit Abrahamidum familie ad-
di, indeque maximè sese ipsum extulit, ac publi-
mauit. Sic ait S. Doctor: *Exibat & ipse de terra,
& de cognatione sua, & de domo patris sui, egressio
enim longè perfectissima ascensus est.* Tamen Zachæus
genere Iudæus erat, vt dixi quæst. 1. Dicitur au-
tem filius Abrahæ, quia eius fidem, iustitiam, ac
charitatem, & sanctitatem est imitatus, vt ait
D. Chrysofostom. homil. de Zachæo: *Fit Zachæus,
ait, Abrahæ filius merito, non sobole: deuotione, non
stirpe. Vt dixi quæst. 1. & notanter dicitur ipse.*
Eo quòd ipse. Tunc enim quis declarat filius
sui patris, quando eius virtutes tenet, & ample-
ctitur. Vide verb. *Filius*, in Indice.

105.

Chrysof.
Diuitia ita
sunt homini
in estimatio-
ne, ac filius
vnigenitus.

Secundè respondet ad quæst. citat. D. Chrysof.
Abraham, ait, *Domino filium: Zachæus substan-
tiam obtulit, ille heredem: hic hereditatem donauit.*
Ille immolandum solum, quod habuit pignus exhi-
buit, hic patrimonij substantiam Domino immolauit;
vnde rectè Abrahæ filius nuncupatur, dum ordinem
gloria paterna exequitur. In quoniam Zachæus
similis est merito, ac deuotioni Abrahæ: Illustris-
simum facinus Abrahæ exitit proprii filij immo-
latio, quod abundè celebratur in omni Scriptur-
arum serie; quodnam erga meritum simile appa-
ret in Zachæo, vt valeat Abrahæ comparari?
*Abraham Domino filium, Zachæus substantiam
obtulit.* Animofitas, qua Zachæus dimidium sua-
rum rerum dar pauperibus, ac vltro in quadru-
plum restitit debitum creditoribus, consimilis vi-
detur illustri facto, quo Abrahamus Patriarcha-
rum princeps, vnigenitum filium suum immolat;
tanto amore, ac affectu homo ad propriam sub-
stantiam teneretur, vt animofitas, qua suas res di-
mittit, ac à se abicit, videatur posse comparari
illustri facinori, quo Abrahamus proprium filium
in holocaustum offert.

106.

Beda.

Tertiò. Beda lib. 5. in Lucam cap. 77. *Filius
Abrahæ dicitur, ait, Zachæus, quia eius est fidem
imitatus, vt sicut Abraham terram, cognationem,
dominque paternam ob spem futura hereditatis Do-
mino iubente deseruit; ita & ille, quo thesaurum in
caelis acquireret: & pulchrè dicit, & ipse, vt non
solum eos, qui iusti perseverant, sed & eos, qui ab
iniustitia respiciunt ad filios promissionis pertinere
delectat. Abrahamus iustus, Zachæus publicanus,
quomodo ergo filius Abrahæ? Sic enim Zachæus
per penitentiam mundatus est, ac restitutus suo
antiquo honori, super nivemque dealbatus, vt
numerari mereatur inter sobolem iusti, ac sancti
Abrahæ. Non solum inter filios Abrahæ comput-
atur purus, & innocens Isaac, sed etiam Za-
chæus licet publicanus, per penitentiam tamen
mundatus; decorem enim, quem iustus habet
per suam innocentiam, habet & conuersus per
penitentiam. Non solum eos, qui iusti perseverant,
sed & eos, qui ab iniustitia respiciunt ad filios pro-
missionis pertinere declarat.*

107.

Olez 2.

Ad animam Deo marito infidam, quæ cum fal-
sis amatoribus prostituta fuerat, reuocata tamen
humanissimè loquitur Deus. *Es sponsabo te
mibi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia,
& iudicio, in misericordia, & miserationibus, &
sponsabo te mihi in fide, Olez 2. num. 19.* Nonne
hæc corrupta, & deficiens à viro suo cum multis
amatoribus fornicata est? quo ergo pacto sponsa
futura pronuntiatur? Nam sponsa dicitur, cui
hos virginitatis intactus perseverat; dicendum
ergo videbatur, non desponsari, sed reconciliari;

nam inter homines si sponsa violat leges matri-
monij cum ad virum reuertitur, non desponsari,
sed reconciliari affirmatur. Et si hoc sit in con-
iunctione humana, tamen in spiritali matrimo-
nio, quod per comparisonem gratiæ sanctifi-
cantis fit, sic suum decorem amissum recuperat
anima, vt non tanquam corrupta, ac violata re-
conciliari, sed veluti virgo pulchra, & decora
desponsari reputetur, ac iudicetur. D. Hieron. ad
cit. locum Olez: *O quanta clementia Dei, ait,
meretrix, quæ cum multis amatoribus fornicata est,
& ob hoc crimen bestis tradita, postquam reuer-
tur ad virum, nequaquam reconciliari dicitur, sed
desponsari: & vide, quod intersit inter Dei coniun-
ctionem, & hominum, homo cum uxorem accepit,
de virgine mulierem facit, id est, non virginem, Deus
etiam meretricibus copulatus mutat in virgines. Vn-
de, & Apostolus post fornicationem, & idolorum-
cultum credentibus Corinthiis loquitur. Despondi
enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*
Vide multa verb. *Penitens*, in Indice.

Per peniten-
tiam decora-
tur homo, vt
innocens.

Hieron.

Series Historia.

D. Hieron. D. Paschal. lib. in Matth. D. Remig.
Abulens. quæst. 1. & 2. volunt ingressum
triumphalem in Hierusalem fuisse immediatè
consequens ad historiam præcedentem de Ieri-
cho, ac Zachæo; tamen communiter Iansenius,
Barrad., Lucas Burgens. Cornelius, & alij in
suis itinerariis; hic interponunt historiam de
vnctione Magdalene in domo Simonis Leprosi,
quam D. Matthæus 26. & D. Marcus cap. 14. tan-
quam præludium ad Christi Passionem, ideo or-
dinem. D. Matth. ac Marci sequentes ad exordium
libri sequenti explicabimus.

108.
Hieron.
Remigius.
Abulens.

Iansen.
Barrad.
Luc. Burg.
Cornel.

CAP. XL.

Triumphalis ingressus in
Ierusalem.

Matth. 21. Et cum appropinquassent
Ierosolymis, & venis-
sent Bethphage ad mon-
tem Oliueti: tunc Iesus
misit duos discipulos.

Num. 2. Dicens eis: Ite in Castel-
lum, quod contra vos
est, & statim inuenietis
asinam alligatam, & pul-
lum cum ea: soluite, &
adducite mihi.

VERSIONES.

Syriacus n. 1. Venissetque Bethphage
iuxta verticem montis
Oliuarum: misit Iesus
duos ex discipulis suis.

Syriacus n. 2. Et dixit eis: Ite in vicum
istum, qui vobis est è
regione,

regione, & statim inue-
nietis asinam vinctam.

Pagninus. Ite in oppidum.
Lucas Burg. Quod ex opposito est.
ex Græco.

ALTER TEXTVS.

Marc. 11. n. 1. Et cum appropinquarent
Ierosolymæ, & Bethaniæ
ad montem Oliuarum,
mittit duos ex discipulis
suis.

Num. 2. Et ait illis: Ite in Castel-
lum, quod contra vos
est, & statim introeun-
tes illuc, inuenietis pul-
lum ligatum, super quem
nemo adhuc hominum
sedit: soluite illum, &
adducite.

Luc. 19. n. 29. Quasi idem habet cum D.
Marco.

EXPOSITIO I.

I v v s Hieron. Egreditur de Ieri-
cho, ait, turbis eductis inde quam-
plurimis, & cæcis reddita sanitate,
appropinquat Ierosolymis, magnis
ditatus mercibus: salute creden-
tium reddita. In Iericho Christus duos cæcos il-
luminavit, in itinereque Zachæum cum tota fa-
milia conuertit; in festiuissimi Christi triumphi
causa, quod magnis fuerit ditatus mercibus sa-
lute hominibus reddita, ac pro omnium salute,
ac remedio ingrediatur Ciuitatem.

Et cum appropinquassent Ierosolymis. Cum Ie-
sus, ac comites eius non procul abessent ab Iero-
solyma. Et nominatur, vt aduertit Albert. Magn.
pluraliter, Ierosolymis, quia Metropolis erat, vel
propter multitudinem habitantium, vel quia
propter suam iniquitatem in multas partes erat
diuisa, & minimè sibi constans. Et venissent ex
proxima Bethania vbi Christus cū suis discipulis
superiorem noctem degerat, Ioan. 12. n. 1. Bethpha-
ge. Vicus erat, vt tradunt communiter interpre-
tes, Iansenius, Sà, Monoch. Titrinus ad pedem
montis Oliueti, sic dictus, quia oliuis abundabat.
Erat autem vicus Bethphage propinquus Ieroso-
lymæ, & Bethaniæ; & ideo ait D. Marcus: *Cum
appropinquarent Ierosolymæ, & Bethaniæ.* Et D. Lu-
cas, *Cum appropinquassent ad Bethphage, & Betha-
niam.* Erat enim Bethphage vicus propinquus Be-
thaniæ, & Ierosolymæ, qui ergo venerat Beth-
phage proximus erat tum Bethaniæ, tum Ieroso-
lymæ.

Misit duos ex discipulis suis. Nam Christus
Dominus misit suos discipulos binos, Luc. 10. De
quo vide tom. 3. cap. 18. quæst. 7. Quod enim ipse
mandauit suis factis adimplet. Deinde, vt ait
Abulens. quæst. 7. quia quando duo sunt, vt
alteri testimonium perhibet, & quia ad conditio-
nem actus, apotes erant duo, quam vnus; nam
Christus mandauit afferre asinam, & pullum,
quod aptius facerent duo, quam vnus. D. Thom.
ait, quod misit eos binos propter duo præcepta

1.
Hieron.

2.
Alb. Magn.

Ioan. 12.

Iansen.
Sà.
Monoch.
Titrin.

3.
Luc. 10.

Abulens.

D. Thom.

charitatis. Quinam essent hi duo discipuli, D. Hi-
lar. D. August. D. Chrysof. in Imperfecto, Beda,
Glossa, existimant hos duos fuisse Petrum, &
Philippum. Origenes verò, & Theophylact. pu-
tant fuisse Petrum, & Paulum in figura, ac typo,
Hi ad Genes erant mittendi; nondum enim Pat-
lus conuersus erat ad Christum. Verisimilius verò
Iansen. Cornel. & alij Recentiores hos duos fuis-
se Petrum, & Ioannem, quos paulo post Christus
præmisit ad parandum Agnum Paschalem; nihil
tamen certò in hac re potest definiti.

Quinam es-
sent hi duo
discipuli.
Hilar.
August.
Chrysof.
Beda.
Glossa.

Dicens: Ite in Castellum, pagum nempe, seu
vicum, quod contra vos est. Ex regione, seu op-
posito vestri est. Statim inuenietis: in ipso introi-
tu Castellum, ad primasque eius domos inuenietis,
qui diuina mandata exequitur, statim ei omnia
occurrunt, ac sunt in promptu. *Asinam alliga-
tam.* Per quam denotatur humanum genus pec-
catorum vinculis detentum: *In anima peccatrice,*
ait D. Hieron. multa vincula peccatorum. *Et pul-
lum,* asinæ scilicet, vt adimpleret prophetia
Zachariæ; de quo multa dicam infra. Addunt ta-
men D. Marcus, & Lucas: *Super quem nemo adhuc
hominum sedit,* Syrus, pro *sedit,* legit *equitauit,*
qui adhuc erat rudis, & inexpertus humano sel-
fore. Ecce Christus Dominus suæ diuinitatis præ-
bet argumentum, eiusdem enim virtutis scilicet,
diuina est, prædicere futura, ac absentia intueri,
& reuelare, qua etiam virtute Christi vidit, &
reuelauit ea, quæ Nathanaël secreto egerat sub
ficu, Ioan. 1. n. 48.

4.

Hieron.

Syrus.

Ioan. 1.

QVÆSTIO I.

Explicatur vicus Bethphage litteraliter,
ac moraliter?

BETHANIA, vt ait D. Ioan. 11. distabat ab
vrbe Ierusalem quindecim stadiis, id est,
duobus milliariibus, quæ mediam leucam effi-
ciunt. Bethaniæ viculus Bethphage propinquus
erat, qui ad radices montis Oliueti situs extabat
quinque stadiis ab vrbe Ierolyma distans, vt
tradit Iosephus lib. 20. Antiquitatum, cap. 6. &
lib. 6. de bello cap. 3. Hic autem vicus Bethphage
constitutus erat in orificio, seu in ore vallis Io-
saphat. Vt docent D. Hieron. in cap. 26. Matth.
D. Paschal. Haymon, & alij. In hoc autem vallis
Iosaphat erat via, quæ deducebat ad portam au-
ream templi; per hunc autem vallem, qui refer-
uatus est extremo iudicio, voluit Christus ingre-
di cum regali triumpho in ciuitatem, ad mortem,
vt inueneret in tremendo iudicio exactam ratio-
nem esse sumendam ab eis, qui mortem, & pas-
sionem Christi contempserunt, vt vitam, & sa-
lutem sibi compararent.

5.
Ioan. 11.
Situs Beth-
phage.

Iosephus.

Hieron.
Paschal.
Haymon.

Bethphage vicus erat Sacerdotum, nam per-
acta vice, & hebdomada sua ministrandi in tem-
plo, vt docet D. Thomas, ad hunc viculum se se
recipiebant Sacerdotes. *Ibi habitantes,* ait D. Hie-
ron. citatus, *cum vxoribus, filijs, filiabus, comedebant
decimas, & primitias, & oblationes, quas in
templo Domini populus offerebat Deo.* Tradunt
etiam Adricom. Iansen. & alij, in hoc oppido
agnos, capras, & boues pro sacrificiis templi
ali solitos, ex eo quòd consuetum erat Agnos
Paschales deduci ad victimas offerendas in tem-
plo: hæcque de causa ex Bethphage Christus
disposuit

6.
Bethphage
vicum Sacer-
dotum.
D. Thom.
Hieron.

Adricom.
Iansen.